

videri, licet ille minori, hic verò majori circulo contineatur. Radii enim visivi DF & DE &c. sphaeram ante discum diametralem HG orbiculariter tangunt, ut supra diximus, hinc rectà continuati ipsum discum diametralem intra complexum suum quasi continent, ita tamen ut ad certam intercapedinem ab eo circumcirca sint remoti. Majorem igitur angulum FDE in oculo faciunt radii in tuberositate anteriorem incidentes, quam si remota tuberositate ipsum discum centralem tangerent, hinc enim angulum HDG formarent.

Sed quia praedictus excessus insensibilis ferè est, igitur discus ille visus pro ipso diametrali sumitur, & ex ejus apparente magnitudine de vera tum diametri, tum disci, tum ipsius corporis globosi magnitudine judicatur. Quantum autem sit excessus apparentis disci supra discum diametralem in globo terrestri, paucis hinc determinandum est. Sit igitur in praedicta figura discus centralis HBG. Radii visivi HD. GD. Linea distantiae lunaris perpendiculariter incidens ad discum diametralem BD. Quoniam igitur in Triangulo DBG ad B Rectangulo nota supponitur BG semid. Terræ, & BD distantia Lunæ à Terra, notus etiã erit angulus BDG, semidiametrum disci centralis mensurans. Nempe, ut se habet BD distantia Lunæ, v. g. maxima 66. sem. 42. sec. ad GB unam semid. Terræ; ita Radius 100000. ad Tangentem anguli quaesiti. Qui Tangens ejusdem ferè quantitatis est cum sinu anguli metientis semidiametrum apparentis disci, $\frac{17}{10000000}$ partibus saltem eo major, nec sensibiliter diversum angulum etiam arguit ut canon Sinuum non minùs quàm Logarithmorum ostendit. Insensibilis igitur est excessus apparentis disci supra discum diametralem verum, & proinde absque omni errore notabili negligi potest.

Phæno-